

No. 487. 1355. 23. Oct.

B. Johann bestätigt die Verpflichtung eines bestimmten Vicars der Domkirche jährlich bei der Feier des Anniversars des verstorb. Domherrn Conrad von Neustadt (Naustadt) ein Talent zu zahlen.

Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod constituti coram nobis honorabiles et discreti viri domini Albertus dictus Knut praepositus ecclesiae Budissinensis et Hermannus de Nova Civitate perpetuus vicarius ecclesiae nostrae Misnensis praedictae proposuerunt, quod quondam dominus Conradus de Nova Civitate dictae nostrae Misnensis ecclesiae canonicus duas vicarias perpetuas in dicta Misnensi ecclesia creaverit et fundaverit, quarum unam altera in redditibus plus dotaverit ea intentione, quod eandem vicariam pluribus redditibus dotatam onerare vellet in uno talento denariorum Vrybergensium, quod habens eandem vicariam ministrare deberet post ipsius domini Conradi mortem singulis annis pro eius anniversario peragendo. Quia tamen morte praeventus suum quoad praemissa conceptum ad effectum perducere nequivit, in fine vitae executionem intentionis suae praedictae sicut et aliorum testamentorum per ipsum conditorum dictis dominis Alberto praeposito Budissinensi et Hermannus de Nova Civitate committere decrevit et commisit, petiveruntque dicti domini Albertus et Hermannus, quatenus dictam voluntatem et intentionem dicti domini Conradi approbare, ratificare et confirmare, ac dictam vicariam, quam nunc habet dictus dominus Hermannus de Nova Civitate, cuius collatio ad nos et episcopum Misnensem pro tempore pertinere dinoscitur, onere praedicto dandi et solvendi singulis annis de redditibus dictae vicariae unum talentum Vrybergensium denariorum pro anniversario dicti domini Conradi peragendo onerare dignemur. Nos petitioni eorum favorabiliter annuentes de consensu capituli nostri supradictam voluntatem et intentionem dicti domini Conradi approbamus, ratificamus et confirmamus ac supradictam vicariam praedicto onere oneramus, volentes, statuentes, ordinantes et praecipientes firmiter, ut de cetero habens et obtinens dictam vicariam de ipsius fructibus et redditibus dare,olvere ac ministrare debeat singulis annis unum talentum denariorum Vrybergensium vel eius aestimationem, videlicet quatuor solidos grossorum usualium pro anniversario dicti domini Conradi peragendo. In quorum omnium testimonium hanc nostram patentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini M^o.CCC^o.LV^o. in die beati Severini episcopi ac confessoris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Siegel des Bischofs und dem des Capitels an Pergamentstreifen.